

in ratione bonitatis, et malitiæ; et in eo in quo homo damnificatus est per privationem gratiæ, in eo restituitur integre per gratiam: in eo autem in quo Deus offensus est, non fit æqualitas ad Deum, sed solum redditur Deo per gratiam, id quod debetur ei dari ab homine, etiamsi non peccasset, scilicet esse conversum ad ipsum. Non sufficit igitur ad æqualitatem injuriæ subjici creaturam Deo, sed requiritur, quod aliquid divinum, seu infinitum subjiciatur, sicut infinitum, qui erat Deus, qui subjectus est pro offensa, et postpositus moraliter creaturæ.

LXV. Ad confirmationem respondetur gratiam communicare actibus suis illam dignitatem supernaturalem, et illam rationem infinitatis, scilicet ordinem ad objectum infinitum secundum denominationem, tamen totum hoc est in ordine ad objectum infinitum supponendo finitatem ex parte personæ, quæ subjicitur Deo, et ideo non facit æqualitatem cum infinitate injuriæ, cujus infinitas consistebat in hoc quod infinita persona esset subjecta, et postposita creaturæ. Et si dicas: Nam subjectio, qua Persona divina se subjicit Deo est major quam subjectio, qua peccator illam subjicit creaturæ; ergo non fit æqualitas in hoc, sed excessus, et superabundantia

LXVI. Respondetur revera ita esse, quod satisfactio Christi non solum fuit æqualis, sed superexcedens, quia infinitas operum Christi erat personalis, atque adeo extrinseca ipsis operibus (ut postea ostendemus) et denominatio infinitatis proveniens a principio operante, est multo majoris æstimationis, quam illa, quæ solum provenit ex denominatione personæ, quæ se habet, ut terminus: unde pro peccato ut est injuria, non invenitur æqualis recompensatio, quæ neque excedat, neque

excedatur, sed vel est superabundans, vel deficiens. De his inferius.

LXVII. Ad quintum respondetur duplici distinctione. Prima ad antecedens: Non minus placet Deo actus procedens ex gratia, quam displicet actus peccati. Si consideretur peccatum, quantum ad rationem mali moralis, et actus procedens a gratia secundum conversionem ad Deum, et bonitatem moralem etiam, concedo; si consideretur peccatum in ratione injuriæ, et actus a gratia in ratione satisfaciens perfecte, et proprie, nego. Secunda, est ad probationem hujus antecedentis: Posita gratia redditur homo justus, et sanctus, sine alio favore extrinseco superveniente ipsi gratiæ, concedo; sine favore extrinseco a quo procedat gratia, et ejus effectus sit, nego. Jam enim supra diximus, quod gratia non solum habet intrinsecum valorem præbere animæ, elevando illam ad supernaturalem Dei participationem, sed etiam est effectus dilectionis gratuitæ, et remissivæ offensæ gratis, ut ostendimus ex D. Thoma, et favet Concilium Tridentinum sess. vi, can. vii dicens: « Quod justificatio non est sola peccatum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis. » Et infra dicit: « Quod efficiens causa hujus justificationis, est misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat. » Ecce quomodo aperte Concilium ponit, quod justificatio includit remissionem, licet non solum, sed etiam interiorem renovationem; et quod est effectus misericordiæ Dei gratuito abluentis.

LXVIII. Supponit ergo gratia favorem gratuitum remissionis, et misericordiæ gratuitæ abluentis, et ratione illius plene sanctificat, excludendo peccatum, et in ratione mali, et in ratione injuriæ. Ita tamen, quod injuria per remissionem, intrinseca

macula per renovationem interiorem excludatur; non vero renovatio interior dat valorem satisfaciendi ad æqualitatem pro injuria; nec gratia ratione solius renovationis remittit peccatum, sed ut est effectus dilectionis gratuitæ. Et ita posita gratia in subjecto non displicet amplius subjectum, neque est offensum Deo; posita gratia, ut remissiva est, et renovativa, concedo; posita ut tantum renovativa intrinsece, sine remissione tamen Dei, nego. Sic enim adhuc manet ratio injuriæ ad æqualitatem reducenda, vel gratis remittenda. Unde si per impossibile Deus poneret gratiam intrinsece renovantem in anima, et nollet remittere offensam, sine æquali satisfactione, aut mere gratis, ille homo perpetuo maneret exclusus a regno, quod est signum non esse sublatam offensam, sicut patres in limbo manserunt quousque injuria peccati satisfacta est per Christum, licet ipsi essent justis, et nihil purgandum haberent, et si Christus non veniret, perpetuo ibi manerent.

LXIX. Quod si dicas: Si gratia remittit peccatum per modum gratuitæ remissionis, quid ergo fecit Christus per suam satisfactionem, et quomodo nobis remittitur peccatum ex vi satisfactionis ejus, respondetur gratiam istam, quæ datur per Christum respectu nostri, dari gratis, quia. *Justificati sumus gratis per gratiam ipsius*; respectu autem Christi non datur gratis, neque in ratione meriti, quia ipse meruit illam nobis; neque in ratione satisfactionis, quia datur illa gratia nobis in vi recompensationis factæ a Christo, qua delevit per sanguinem suum chirographum quod erat contrarium nobis, et consequenter applicando nobis suam satisfactionem, tollit omne impedimentum offensæ, ut detur gratia.

LXX. Ad sextum respondetur, quod

dato hoc, quod homo purus haberet totam illam eminentiam gratiæ, et mereretur aliis primam gratiam, adhuc non satisfaceret pro peccato: est enim alia ratio meriti, alia satisfactionis. Sed adverte esse valde controversum, et dubium inter Thomistas, an de potentia absoluta possit homo purus per actus procedentes a gratia mereri alteri primam gratiam de condigno, quantum est ex valore, et condignitate operis. Alii enim solum concedunt meritum imperfectum, fundatum scilicet in pacto aliquo extrinseco, et acceptance Dei, quo vellet sic pacisci cum aliquo, ut pro ejus operibus daret alteri gratiam; non tamen ex pacto justitiæ, neque ex condignitate operis. Sic Cabrera in præsentis disputatione xii, num. xxxix; Alvarez disputatione vi, in solutione confirmationis secundi argumenti; Vazquez disputatione quarta citata, quamvis ex alio fundamento, ut vidimus referendo ejus sententiam.

LXXI. Alii concedunt meritum ex condigno, ut magister Soto, Vega, Cabrera, Durandus, Scotus et alii quos citat, et sequitur Lorca in præsentis disputatione vi, licet probabilem etiam reputet oppositam sententiam, neque alteram partem convinci posse existimet. Et numero xiii extendit hoc etiam ad satisfactionem taliter, quod potest homo justus satisfacere pro peccato alterius hominis non de rigore justitiæ, sed secundum condignitatem ex parte valoris oblatis pro satisfactione, quia æqualitatem satisfactionis existimat, sumendam esse a valore satisfactionis immediate, non ex persona satisfaciente, nisi quatenus ex illa valor satisfactionis originatur. Potest autem proferre actum dignum gratia sanctificante pro altero homine, quia gratia habet vim emundandi a peccato per se, secluso quocumque extrinseco.

LXXII. Egotamen abstineo in præsentia a quæstione de merito; pertinet enim ad quæstionem cxiv primæ secundæ, art. vi disputare, an possit mereri aliquis de potentia absoluta alteri primam gratiam; nec video claram implicationem, ut contra Vazquez arguendo dicebamus, ut non possit purus homo talem eminentiam gratiæ habere, ut possit alteri primam gratiam mereri, quia gratia non excedit valorem, et proportionem actuum a gratia procedentium. Et hoc quod est gratiam illam esse alteri, seu pro altero, non est conditio ita improporcionata gratiæ, quod non possit habere æqualitatem cum illa si ad id ordinaretur a Deo; vel ut verbis D. Thomæ utamur loco citato primæ secundæ, si moveretur a Deo non solum ut perveniret ad gloriam, sed ut etiam alios ad eam adduceret. Itaque bonum ejus tunc non esset gloria propria, sed gratia, et gloria alterius.

LXXIII. Sed quidquid sit de hac controversia, quam in præsentia nolo diffinire, quia hic non est proprius locus, quod attinet ad præsens dico conformiter ad ea, quæ determinavimus, quod etiam si demus purum hominem justum mereri pro altero primam gratiam, non debemus concedere, quod possit satisfacere ad æqualitatem pro peccato in genere injuriæ, existimoque esse longe diversam rationem meriti et satisfactionis. Quod non obscure judicat S. Thomas dum inquirens infra quæstione XLVIII titulos, quibus Christus nostram salutem operatus est per passionem suam distinguit articulo i et ii tamquam diversos titulos, rationem meriti, quo meruit nostram salutem, et rationem satisfactionis. Et fundamentum hujus est ex his, quæ supra diximus articulo primo præcedenti, ex D. Thoma, quod ratio meriti respicit retri-

butionem, pertinetque ad justitiam distributivam; ratio autem satisfactionis respicit recompensationem æqualitatis, pertinetque ad justitiam commutativam si sit perfecta, quæ læsum jus alterius resarcitur, et adæquatur. Et potest contingere, quod aliquis mereatur gratiam sanctificantem, seu remissionem peccati pro altero dandam secundum formam justitiæ distributivæ, et recompensationem meritorum ejus, quod est mereri liberationem a peccato; non tamen detur ista remissio peccati secundum formam justitiæ commutativæ resarciendo ad æqualitatem jus læsum. Et hoc est, quod dicebat S. Thomas supra allatus in iii, distinct. xx, quæst. i, art. iv: « Quod si alio modo Deus liberaret genus humanum, haberet quidem modum liberationis tantum, sed non redemptionis, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii. »

LXXIV. Itaque non repugnat, quod aliquis mereatur de condigno primam gratiam, seu condonationem peccati, ita quod Deus velit retribuere præmium actui meritorio meo per condonationem, et remissionem peccati factam Petro. Sicut si miles suis factis mereatur, ut rex tribuat veniam injuriæ sibi illatæ ab homine plebeio; aut ut remittat magnam summam pecuniæ sibi debitam. At vero repugnat juxta dicta, quod homo purus exhibeat Deo valorem condignum, seu pretium pro injuria sibi illata per peccatum, et ita Deus tollat peccatum alterius ex vi valoris actus oblatis ab homine puro, quo ad æqualitatem solvatur injuria Dei, quia quantumcumque sit magnus ille valor a gratia procedens, non potest tamen tangere in morali æstimatione infinitatem, quam peccatum importat in ratione injuriæ, illamque ad æqualitatem excludere, cum per illam injuriam

sit contempta, et depressa persona infinita. Per oblationem autem actus charitatis, et gratiæ non humiliatur, nec subjicitur Deo persona infinita, sed solum persona finita, quæ potius ex subjectione ad Deum per actus procedentes a gratia acquirit dignitatem, et perficit jus.

LXXV. Semper ergo injuria manet irreparata secundum æqualitatem, quia non reddit Deo pro injuria aliquid amplius, quam reddebatur ante injuriam. Unde licet verum sit, quod valor actionis est, qui satisfacit, tamen quando valor actionis dependet quoad æqualitatem faciendam ex valore personæ, quia inæqualitas facta per peccatum tenebat se ex parte personæ infinitæ contemptæ, et læsæ per peccatum, oportet, quod talis valor fundetur in persona ejusdem infinitatis, ut æqualitatem faciat, quia quæcumque alia persona (quæ infinita non sit) quantumcumque humilietur, non adæquat humiliationem injuriosam factam in persona infinita per peccatum. Quare in hac satisfactione dignitas personæ non consideratur solum, ut conditio requisita, sicut ad merendum requiritur personam esse in statu digno, sed ut constituens æqualitatem valoris satisfactivi, ut qualis persona ruit depressa per peccatum, talis humilietur ad satisfaciendum.

LXXVI. Ad argumentum ergo sextum, in cujus gratiam hæc dicta sunt, respondetur quod dato, quod aliquis possit mereri de condigno primam gratiam alteri, et facere illam debitam sibi ex justitia distributiva, negamus tamen, quod possit satisfacere perfecte, et reddere debitam illam remissionem ex vi justitiæ commutativæ. Ad probationem consequentiæ, respondetur quod licet offerat condignum valorem pro prima gratia, et remissione peccati condignitate meriti, non tamen con-

dignum condignitate satisfactionis, quia non offert valorem condignum recompensativum, cui respondeat evacuatio debiti, seu proportionatum, cui respondeat tamquam retributio ipsa condonatio debiti. Unde tunc non tollet Deus culpam, ut satisfactus ex vi compensationis sibi factæ, sed potius ipse per condonationem, et remissionem peccati vult compensare, et retribuere actum meritorium sibi exhibitum. Et est manifestum exemplum supra allatum. Si rex attendens facta alicujus militis in eorum præmium velit remittere mille, quæ sibi debet Petrus, tunc non fit illa remissio per modum satisfactionis ad æqualitatem, sed in recompensam meritorum; alius est enim titulus meriti, alius satisfactionis.

LXXVII. Nec potest dici, quod gratia data ex vi talium meritorum habet formaliter, et secundum suam naturam, sine extrinseco favore tollere maculam, et consequenter rationem offensæ, quia hoc ipso non est dignus odio Dei, nec illi infensus qui non habet maculam; solum enim peccatum, seu macula est id, quod odit Deus in homine, scilicet id quod est peccator; ergo neque manet offensa, quia offensa non manet, nisi homo maneat infensus, et invisus Deo, ut arguit Vazquez 1-2, disp. ccvi, cap. vi.

LXXVIII. Respondetur enim ex sæpe dictis, quod gratia tollit maculam quasi formaliter physice; rationem autem offensæ inde resultantem formaliter moraliter, non moralitate satisfactionis, sed condonationis, et remissionis, per modum effectus secundarii, et privati, in quantum est effectus voluntatis, et amoris Dei gratuitigratis remittentis peccatum, ut supra diximus ex Concilio, et D. Thoma. Non quia hoc faciat gratia per extrinsecum favorem supervenientem, sed quia est forma proce-

dens a voluntate condonante, et remittente, non ex vi satisfactionis, quam ipsa gratia secum afferat: neque enim gratia satisfacit cum sit Dei condonatio, et procedat ab ipso creditore condonante, sed quia ipsa gratia, seu justitia nobis inhærens, et quæ per merita Christi datur, est unica causa formalis nostræ justificationis, ut docet Concilium sess. vi, capite vii. Atque ita ipsa gratia sola ut formalis causa tollit peccatum moraliter, et physice in ratione mali, et ratione injuriæ; non tamen ut satisfactio, sed ut condonatio; quod est necessario advertendum contra Vazquez.

LXXIX. Ad ultimum argumentum respondetur. Ad locum D. Thomæ ex quarto sententiarum, dicunt Thomistæ in præsentī non loqui de satisfactione perfecta, et ex natura rei æquali, sed de imperfecta, et quæ supponit acceptionem gratuitam. Dicit enim, quod habet infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest. Hæc ergo infinitas non est infinitas condignitatis perfectæ, sed acceptionis gratuitæ: nam etiam ad acceptionem illam requiritur infinitas ex parte acceptantis; solus enim Deus potest acceptionem istam facere. Quando autem subdit D. Thomas, quod in idem redit satisfacere ex virtute meriti Christi, et per gratiam, quia gratia datur per fidem mediatoris, non loquitur de satisfactione facta immediate a Christo, sed de ea, quam nos facimus per gratiam receptam a Christo; nam satisfactio, ut correspondet nobis, etiam ut membra sumus Christi, non est ejusdem perfectionis, atque ut correspondet ipsi Christo, ut dicemus postea.

LXXX. Unde id, quod ultimo subdit S. Thomas: « Quod si alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio

per modum prædictam; » manifeste significat se loqui de satisfactione imperfecta, utpote ex illis verbis per modum prædictum, etc. Refert enim se ad modum satisfactionis antea dictum: ante autem locutus erat de satisfactione ex acceptione Dei secundum quam acceptum redditur id, quod homo reddere potest, quod totum est satisfactio imperfecta. Eodem modo intelliguntur verba ex quarto sententiarum ad Annibaldum, quia idem significant. Ad locum autem ex tertio sententiarum, distinct. xx, respondetur S. Thomam non dicere, quod homo in statu innocentiae poterat satisfacere ad æqualitatem; sed quod homo lapsus potest redire ad dignitatem tantam, quantam habuit in statu innocentiae: et ideo ad perfectam reparationem exigitur quod sit satisfactio æquivalens culpæ: quod vero ista æquivalentia fieret in statu innocentiae non dicit. Similiter in ultimo loco in iii, ad Annibaldum non dicit, quod contritio satisfacit ex radice, vel conditione personæ, sed quod pœna quæcumque etiam minima assumpta a Christo sufficeret quantum est ex conditione personæ ad satisfaciendum, plusquam quælibet contritio: de hoc enim procedebat argumentum.

ARTICULUS III.

Utrum contritio saltem ex imperfecta justitia satisfaciat pro peccato?

I. Hæc quæstio breviter resolvenda est, quia proprie non spectat ad hunc locum, sed ad materiam de pœnitentia, vel de justificatione. Quia tamen ad præcedentis quæstionis resolutionem aliquantulum confert, ut amplius explicata maneat ratio justitiæ, quæ in satisfactione

puri hominis invenitur, aliquid oportet in præsentī tangere de hac difficultate. Explicato enim quomodo gratia ipsa det valorem ad satisfaciendum, et quomodo tollat peccatum, restat videre quomodo actus ipse, quo justificamur, satisfacere possit.

II. Ut autem evitemus confusionem, et prolixitatem, quæ in hac difficultate enodanda, esse satis magna solet inter auctores, tria oportet prænotare tamquam fundamenta dicendorum. Primum est, quod contritio etiam ut est actus correspondens virtuti pœnitentiæ, modum aliquem satisfactionis observat, et formam justitiæ, etsi imperfectam; ita quod sicut per religionem reddimus Deo recompensationem honoris, et cultus, ideoque est pars potentialis justitiæ religio, quia modum habet justitiæ in reddendo debitum ita pœnitentia reddit Deo recompensationem pro offensa, puniendo peccatum eo modo, quo potest, ideoque est pars potentialis justitiæ, ut determinat D. Thomas iii part. quæst. lxxxii, artic. iii, quia habet pro materia compensationem pro offensa, quæ dicit commutationem quamdam, quæ est materia justitiæ. Unde inquit sanctus doctor, quod est manifestum pœnitentiam esse partem justitiæ, potentialem tamen, quia non reddit justum æquale. Unde et notanter dixi pœnitentiam habere modum justitiæ satisfaciens, et hoc ut certum supponimus. Quem autem valorem habeat id, quod offert in tali modo commutationis, et satisfactionis; et qua ratione imperfectam rationem justitiam attingat, vel non attingat ex parte valoris oblatis in recompensationem, est difficultas deinceps inquirenda.

III. Secundum quod supponimus est contra patrem Vazquez 1-2, disp. ccciii, quod contritio (etiam ut in-

THEOLOGIA VIII.

formatur a charitate) solum est dispositio ad infusionem gratiæ, et remotionem peccati tam quoad maculam, quæ physice, et intrinsece est in homine quam quoad rationem injuriæ, quæ tollitur per remissionem. Sententia enim patris Vazquez in hoc consistit, quod parvuli, et adulti, qui sola attritione cum sacramento justificantur, non possunt nisi per habitum justificari, idque de fide catholica esse, cum justificentur per inhærentem justitiam, et consequenter per aliquod accidens superveniens ipsi animæ, et non per operationem, cum parvuli illam non habeant; attriti autem operationem habent, cui gratia non est conjuncta ex se, et sine sacramento; ergo oportet, quod alio accidente justificentur, quod non sit operatio. At vero adulti, qui actum contritionis eliciunt, licet de facto justificentur per habitum, et eis infundatur quidquid parvulis infunditur, quia tamen adhuc definitum non est omnem justificationem fieri in nobis per habitum, probabile esse dicit, quod solus actus contritionis charitate formatus justificare non possit, etiamsi de potentia absoluta habitus non infundatur, et quod actualiter convertit hominem in Deum, ut ultimum finem, et avertit eum a fine contrario; ergo remoto quocumque habitu per solam conversionem actualem, tollitur macula seu aversio a fine ultimo, et redditur homo Dei amicus, et in Deo manens, et Deus in eo, et cætera omnia, quæ gratiæ justificanti solent attribui.

IV. Alii etiam dixerunt contritionem non esse quidem formam, qua formaliter justificetur homo; esse tamen dispositionem ultimam, ita necessario connexam cum gratia, et remissione peccati, quod de justitia faciat illam debitam, et sine nova misericordia dandam: non quidem